





*Pri. S. Ann. 26.*

15  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
IVRIDICA,  
DE

26

DAMNO IN SUBSTANTIA  
ORTO AB VSVFRVCTVARIO  
NON PRAESTANDO:

QVAM,

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA,  
EX DECRETO ILLVST. ICTORVM ORD.  
IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA,  
SVB PRAESIDIO,

DN. HERMANNI BECKERI,

LL. D. ET INST. P. P. O. ADHVNC ACTVM PRODECANI  
ET PROMOTORIS SPECTATISSIMI,  
PRAECEPTORIS OLIM SVI SVMMOPERE COLENDI,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA CAPESSENDI,

IN AUDITORIO MAIORI,

DIE 18. IVL. 1758.

PUBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT,

PETRVS GOLDSCHMIDT,

WITZINO-MEGAPOLITAN.

SVPERIOR. MECKLENB. IVDIC. ADVOCAT. ORD. ET DICAST.  
PROVINC. PROCVRAT. LL. CAND.

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.



1784

DISSERTATIO INNOVATORIA  
PHYSICO-MATH.


DAMNO IN SUBSTANTIA  
ORGO AD VSTRUCTARIO  
NON ERATANDOS

AVGUSTI BERNHARDI WILHELMI  
PHYSICAE ET MATH. P. ORD.

DR. HERMANNI BEGGERII

PROFESSORIS  
PHYSICAE ET MATH. P. ORD.

LEIPZIGI  
PUBLIUM



PARENTI OPTIMO,  
DOMINO  
MARCO WILHELMO  
GOLDSCHMIDT,  
ECCLESIAE ANTEA WITZINENSIS  
NUNC  
GOEGELOVIENSIS.  
PER TRIGINTA FERE ANNOS  
MINISTRO MERITISSIMO  
VIGILANTISSIMO  
CIRCULI STERNBERGENSIS  
CONSENIORI SPECTABILI

PARENTI OPTIMO

DOMINO

HANC DISSERTATIONEM

INAUGURALEM

IN

PERENNIS SUI GRATI ANIMI

MONUMENTVM

PRO

TOT TANTISQVE EXIMIIS BENEFICIIS

DAT, DICAT, CONSECRAT.

MILITIS TRO MERITISSIMO

VIGILANTISSIMO

CREALII STEPHANUS

FILIVS OBSEQUIOSISSIMVS.





*I*is Pater Dilectissime! gratias  
exsolbere merito solemus, da-  
ta occasione, publicas, quorum  
in nos beneficia tam egregia sunt, ut reliquis  
palmam praeripiant, quibusque dum vel pacem a-  
gamus, praeter voluntatem sinceram officiis ali-  
quo modo satisfaciendi nihil praestare possumus.  
Hoc quum certum sit, quam quod certissimum, Pa-  
ter maxima pietate colende, quis est, qui majori  
jure, ut nomen Dissertationi praeponerem ex-  
pectare potest, quam ipse Tu. Tu Pater opti-  
me! tanta in me collocasti beneficia, et numerum  
fere excedentia, ut tu solus esse videaris is, cui  
grates publicas debeam. Non suffecit Tibi Pa-  
rens, Praeceptoris vice ad annos aetatis meae  
maturioris usque, si duorum in circa annorum  
spatium excipiam, ipse fungi, et cum munere  
suavissimi Patris partes indulgentissimi Prae-  
ceptoris conjungere, sed ne ulla mihi memet per-  
ficiendi occasio deesset, in schola quae Suerini est,  
per

*per triennii curriculum morari, et non iis tantum disciplinis, quas schola tractat, sed et aliis artium partibus imbui gratiose voluisti. Post in Alma Rostochiensis tantae eruditionis Viris me tradidisti, et uti passus es, per biennii tempus, quorum doctrinae non poterant non maximo mihi usui esse. Et quo nihil tibi explendum remaneret, Academiae Ienensis ciuem per biennii et quod excedit spatium me constituisti. Ac non in hac temporis serie, sed et post reditum in patriam, cujus ipsius Tu mihi comes fuisti, tanta Tua erga me fuit munificentia, ut quicquid laudis proferre possim tibi debeam.*

*Accipias igitur Pater munifice! hoc qualecunque grati animi specimen publicum, et concede, ut hanc dissertationem inauguralem tibi dicatam velim. Permittas quaeso ut pro tua non interrupta salute vota faciam ardentissima, quo longinquioribus adhuc diebus, in Te venerari liceat Patrem dilectissimum, sospitem, incolumen. Ita optat*

T I B I

*Dabam,  
Güstrovii, d. 6. Jul. 1758.*

*obstrictissimus Filius  
Petrus Goldschmid.*



VIR  
CONSULTISSIME,  
DOMINE  
DOCTORANDE  
PRAECELLENTISSIME,  
FAVOR ATQVE AMICE SVAVISSIME,

**V**elis, peto, in memoriam reuocare tempora, quibus per  
biennium in hac Aademia patria vitam degebas, ac *Tu*  
et alii amici, primi mei commensales, iocabundi, me  
nomine vocabatis, unse *Olle*. Vox haec erat fiduciae, et amo-  
ris erga meam personam, quam et tunc temporis hilari accipi-  
animo, et non sine voluptate adhuc hodie in mentem reuoco.  
Vox enim est sinceritatis verae, ac non fucarae Germanicae,  
fignum, sicuti iam dixi, amoris, quo me persequebamini, et  
tessera fiduciae a vobis gratiose in me collocatae. Ita enim  
inferioris Saxoniae idiotismus vocat parentes, et quos paren-  
tum loco aestimant. Permittas itaque, *Amice Suauissime*, vt me  
recorder memoriae huius amicae denominationis, tunc tem-  
poris a *Te* mihi beneuole tributae. Reducit enim ea simul sua-  
uem mihi recordationem *Tuae* indefessae diligentiae, et incon-  
cussi seruoris, quo in praelectionibus meis iuridicis prolata per-  
petuo, et haut interrupto accipiebas studio. Honori mihi  
duco,

duco, quod non inter commenſates ſolum, ſed auditores quoque meos primos, *Te, Vir Conſultiſſime*, tunc temporis numerare poterim, qui fundamenta eruditionis indefeſſo ſtudio hic iacta, poſtea felici Minerva, proprio et indefeſſo feruore magis magisque exulta feciſti. Teſſeram huius rei ſufficientem iam dar praefens haec *Tua diſſertatio inauguralis*, in qua niſi thema oblatum mihi tribuo. Immo magis adhuc probatum hoc dabit, ſtrenua eius in publico examine, et conſictu erudito in auditorio, deſenſio. Gratulor *Tibi* laborem exantlarum, gratulor honores, qui *Te* exſpectant, et numerum honorum iam acceptorum in vita praſtica, cui nomen ſumma cum laude per annos iam dicaſti, adhuc augebunt. Gratulor *parenti Tuo* maxime Reverendo, eccleſiae miniſtro meritiffimo et vigilantiffimo, filium dignum, in quem educandum, et patriae expoliendum, curam impendit ſuam, quique ornamentum ſplendidae familiae et eſt, et erit. Ipa *Tua, Vir Conſultiſſime Diſſertationi Tuae* praemiſſa dedicatio, officia laudabili cum pietate recenſet, quae *patri Tuo meritiffimo* debes. Sed proprius quoque hiece *Tuus* theoreticus labor, in diſſertatione exaranda adhibitus, iunctis *Tuis* in foro frequentibus deductionibus praſticis perpolitus, dignum *Te, Patri Tuo optimo*, reddunt filium, in quem eiufmodi beneficia collocata ſint. Seruet atque conſeruet *Te* ſummum, quod omnia regit, numen, ſoſpirem atque incolumem ad ſeros uſque annos et *patriae*, et *parenti maxime reuerendo* Augeat honores *Tibi* maxime merito iam tributos, et tribuendos, in ſplendorem familiae fulgidiffimae. Sed legem quoque cum hiſce meis ſinceris votis *Tibi* (permittas mihi, peto, per amicitiam noſtram mutuam, hanc adſectaram conuentionalem poteſtatem legiſlatoriam) obſeruandam iungo, rogans, velis pro ſemper *Tibi* propria erga me beneuolentia, et in poſterum me, ſicuti haſtenus conſueuiſti, fauori *Tuo* et amicitiae commendatum de meliori habere. Dab. Roſtochii, d. 16. Iul. 1758.

H. BECKER.

PRAES, ET AD H. A. PRO-DECAN.



**D**iffertationem meam inäuguralem elaboraturus, intentionem ac meditationes ad refarcitionem damni bellici in Megapoli, Conductoribus speciatim praediorum equestrium, qua talibus, a Locatoribus praestandam dirigere decreveram, immo jam elaborationem meam qualem-qualem Judicio Consultissimi Domini Praesidis subjeceram, qui adprobando ordinem a me adhibitum, haesitantiae meae in nonnullis specialibus quaestionibus succurrere haud denegasset; nisi interea Serenissimo nostro Principi, ac Duci longe clementissimo placuisset, omnibus super hac materia litibus, obicem ponendo, mediante peculiari constitutione d. d. 23. Maj. a. c. omnem rem clementissime dirimere, ac  
A per



per Legem provincialem determinare. Hoc facto et adpropinquante interim tempore, quod promotioni destinatum erat, suafu Consultissimi Domini Praesidis, cujus voluntas semper regulae instar mihi erit, ad elaborandam dissertationem inauguralem, *de damno in substantia oris ab usufructuario non praestando* memet accinxi.

Accipe itaque B. L. quae hac de re mihi fuere meditationes, et si quid est, quod intuitu styli forsitan desideres, perpendas quaeso, quod res ipsa non sit alligata elegantiae verborum, quodque mihi, practicae vitae in foro dedito, necessitas imposita fuerit, adhibendi linguam sic dictam eruditorum, qui alias eadem subscribam sententiae, quam fovet Buri in praef. *der Erläuterung des Lehn-Rechts: daß es besser sey, erträglich teutsch, als schlecht latein zu schreiben.* Si vero quid est in ipsa elaboratione, quod censura dignum iudices, non antea censere velis peto, quam consideres simul, te dijudicare dissertationem, quae primitias sistit academicas.



SECTIO



# SECTIO GENERALIS PRIMA,

## DE SERVITVTIBVS.

### § I.

**S**i utilitatem ex re quadam percipio, haec res aut mea est, quoad proprietatem, aut non. Schaumb. Comp. Jur. Dig. Lib. 7. Tit. 1. §. 1. Si prius, ex re propria percipio utilitatem, si posterius, ex re aliena, Stryck. U. M. Lib. 7. Tit. 1. §. 1.

### §. II.

Jus in re aliena, ad utilitatem quandam percipiendam, competens vocatur servitus. Jll. Darjes, scient. Jur. priv. §. 715. cui assentitur supra cit. Schaumb. loco alleg. §. 12. jus servitutis definiens, per jus in re aliena quaesitum Schoepff. in Synopsf. Jur. priv. Lib. 8. Tit. 1. §. 1. qui ipsissimis verbis loquitur L. 15. ff. de servit.

\* In servitute itaque requiruntur duo subjecta, alterum cui servitur, et subjectum dominans audit, alterum quod servit, quod utilitatem praestat, et servientis subjecti nomine venit.

\*\* De servitute hominum seu personarum in nostra hac dissertatione plane non loquimur, tanquam de materia ad praesentem scopum non pertinente. Eodem modo nec distinctionem curamus, juris bannarii, vi cujus dominum cogere possumus, ad aliquid faciendum in nostram utilitatem, et servitutis in specie, vi cujus Dominus rei servientis, ad promovendam nostram utilitatem, ali-



quid pati vel non facere tenerur; quia in applicatione ad materiam infra specialiter tractandam, parum vel nihil confert, licet omnem usum practicum huic distinctioni alias haud denegemus. Ne ramen nostram definitionem perpendentem offendar, divisio servitutum notissima, in affirmativas atque negativas, consideret volumus, percipiendam ex re aliena utilitarem, mox ipsam substantiam, mox fructus rei respicere, et quoque eum, qui dominum, ne ex suo in re sua arbitrio agat, ad suam utilitatem promovendam cogit, utilitatem quandam percipere ex re aliena.

### §. III.

Servitus est jus in re aliena, §. praec. Omne jus, quod habemus in re alterius, est acquisitum, acquisitio facti est. Ill. Darjes in instit. Iurispr. univ. §. 459. et Cor. 2. ad §. 520., ergo servitus debet esse acquisita facto, seu quod idem est, habeat certum fundamentum derivativum, ex quo competat.

### §. IV.

Servitus praesupponit fundamentum ex quo competat. §. praec. Sit igitur necesse est in acquisitione juris servitutis, et tale factum, quo hoc jus actu acquiritur, et contineat porro hoc factum, sufficientem rationem hujus acquisitionis, vel quod idem est, adesse debet dispositio Legis, vi cujus aliquis per hujusmodi factum acquirere possit servitutum.

\* Posterius vocatur titulus acquirendi, et prius modus acquirendi.

### §. V.

Ius servitutis ea ratione ad *res* nostrum pertinet, qua acquisitum est. Ius namque servitutis ea ratione semper



semper adquisitum est, quatenus praecessit titulus et modus acquirendi. Praec. titulus et modus efficit, ut id quod ante fuit alterius, jam fiat nostrum. Ergo id jus servitutis, quod iusto titulo et modo adquisitum est, ea ratione ad nos nostrum pertinet, qua titulus et modus acquirendi sese habet. Acquiruntur autem servitutes, vel ad utilitatem, non nobis tantum, sed potius rei nostrae, ac cuilibet ejus futuro possessori procurandam, vel ut ipsi nos soli exinde percipiamus utilitatem, absque respectu ad rem ejusque possessorem; seu si ita dicere liceat, jus ad percipiendam utilitatem, ex re aliena, vel rei nostrae, vel nobis ipsis acquiritur. Unde distinctio illa notissima oritur, inter servitutes reales et personales.

#### §. VI.

Ambiguus est vocis servitutis realis et personalis significatus. Consideret modo qui de ambiguo hoc significato dubitat L. 14. in fin. ff. de alim. et cibar. leg. Vnde et nonnulli *1Ctorum* tertiam intermediam speciem, mixtam scilicet servitutem fingunt. Conf. Schaumb. in comp. Jur. Dig. Lib. 7. Tit. 1. §. 2. quam tamen nunquam praesumi asserunt, ad L. 20. de servit. praed. rust. provocantes; sed fingunt hanc, uti diximus, intermediam speciem, nec iure defendi potest, quod servitus, quae mox realis est, mox personalis fieri possit. Servitus realis semper manet realis, et servitus personalis, semper manet personalis, si modo conceptus servitutis realis, et personalis, distincte et absque ambiguitate determinetur. Periculum hujus rei fecit summa cum laude Ill. Dominus Darjes, praeceptor olim noster, maxima cum pietate venerandus in inst. Jurispr. priv. Rom. Germ. §. 716 et



717. J. §. 29 et 32. cujus vestigia premere hac in materia placet. Servitus nempe et ratione modi potest vocari realis, et personalis, et ratione objecti: quam differentiam ita accipere velit B. L. Servitus involvit jus in re aliena concessum. Hoc jus vel conceditur subjecto cuidam dominanti determinato, nullo alio habito respectu, quam quia est hoc subjectum, vel conceditur ea relatione, qua subjectum dominans est certi cujusdam objecti possessor. Priori in casu servitus est *ratione modi personalis*, quia respectus personae adest; posteriori autem in casu *ratione modi realis* quia ad rem, ad subjectum dominans, non quia tale, sed quia possessorem rei, in concessione servitutis respicitur. Ius reale enim est, qualitas rei cohaerens, ut eandem nobis cum cujusvis exclusione, eo modo haberemus, quo eam acquisivimus. Schaumb. comp. cit. Lib. I. Tit. 8. §. 1. Ius personale contra definiente eodem Schaumb, l. c. ea est facultas, quae rem ipsam non afficit, sed personae tantum cohaeret. Ponamus ergo jus servitutis cujusdam, sit quae velit, alteri concessum esse ideo, quia est haec persona, tunc modus adjicitur, qui respicit personam. Ponamus porro jus servitutis cujusdam, sit iterum quae velit, concessum esse alteri tanquam possessori rei, et modus in concessione determinatus se refert ad rem. Iam jus servitutis eo modo, ea ratione nobis semper competit, quo modo, qua ratione in ipsa concessione acquisitum est. *Spo* 5. Hinc optimo jure quaelibet servitus absque omni restrictione et distinctione, in qua respicitur ad personam subjecti dominantis vocatur *ratione modi personalis*, et servitus quaelibet iterum, ubi ad rem, ad subjectum dominans, qua possessorem rei in concessione respicitur, est et manet *ratione modi realis*.

§. VII.





## §. VII.

Servitus ratione modi personalis est, quatenus in concessione ad personam, et realis, quatenus ad rem subiecti dominantis respicitur *Spbo* praec. Differt ab hac servitus *ratione obiecti* realis ac personalis sequenti modo. Servitus est jus in re aliena §. 3. Haec res, hoc subiectum serviens, ut ipsissimis fere verbis *ILLVSTR. DARES* l. c. utamur, aut proxime rei alterius, seu praedio alterius, tanquam subiecto dominantis, aut personae, tanquam subiecto dominantis solummodo, et semper praestat utilitatem. Si prius, servitus est *ratione obiecti semper realis*: si posterius, *ratione obiecti personalis*.

\* Ex dictis quilibet facile intelligit, quod ad servitutum ratione obiecti realem requirantur duo praedia, duae res, et quoad subiectum dominans, et quoad subiectum serviens; ad personalem autem una solum res, subiectum nempe serviens.

\*\* Nec minus exinde facili negotio perspicitur, eandem servitutum ratione modi posse realem esse, quae ratione obiecti personalis est, et vice versa e. gr. Itineris servitus ratione obiecti est realis servitus, sed quando alicui iter per nostrum praedium pro sua solum persona conceditur, non cuilibet possessori praedii dominantis, personalis manet ratione modi. Imo ne novaturientes forsitan videamur in cumulandis absque necessitate distinctionibus, provocamus ad ipsos *JCos*, qui in pertractanda materia de servitutibus ipsi docent, quod usus fructus, usus, habitatio sunt semper servitutes personales, quod idem est cum nostra propositione, quando dicimus; usus fructus, usus et habitatio sunt servitutes ratione obiecti personales; caeterae autem servitutes, iter, actus, via, luminum, fenestrarum etc, in regula sunt servitutes reales,



reales, fieri autem possint personales, sive quod sint ratione objecti quidem servitutes reales, quae tamen ratione modi mox reales mox personales fieri possunt. Et videtur, quod Ulpianus in l. 14. §. fin. D. de alimentis et cibariis leg. eandem distinctionem, licet verbis non satis determinatam, in mente habuerit, quando dicit: *nam et haustus aquae, pecoris ad aquam appulsus, est servitus personae, tamen ei, cui vicinus non est, inutiliter relinquitur.* Servitus enim aquae haustus, pecorisque ad aquam appulsus, ratione objecti est servitus realis, sed tamen eam Ulpianus in t. all. ratione modi vocat servitutem personae s. personalem.

\*\*\* Patet simul ex his, quod definitio servitutis realis, quae occurrit in oraculo juridico Tom. XIV. p. 205. „*Daß die Servitutes reales solche Rechte seyn, welche zum Nutzen derer benachbahrten Güter beståtigt worden, ad minimum solum includat servitutem ratione objecti realem, quae tamen ratione modi potest esse personalis.*

### §. VIII.

Inter servitutes ratione objecti personales, quando res aliena personae cuidam proxime, non rei, servit, seu utilitatem praestat §. praec. etiam occurrit jus, omnino omnino emolumenta ordinaria rei alienae percipiendi, tam ex re provenientia, quam intuitu rei percipienda, quae fructuum tam naturalium quam civilium nomine JCtis veniunt. Vid. dissertationem doctissimam, quam sub praesidio b. Heringii habuit Praeses noster consultissimus, ac Praeceptor summe colendus de prodigo felici in materia de fructuum restitutione, quae *ususfructus* audit per l. 1. ff. de usu fr. Quae enim in c. l. adjiciuntur verba: *salva rei substantia*, merito superflua habemus, sicuti ipse b. Heineccius in Element Jur. civ. §. 416. fatetur, ac



ac per indirectum concedit, in formanda tamen notione ea retinens, quando in fine §. c. addit : *alioquin non esset ususfructus, sed abusus*, quippe quod ordinaria emolumenta percipiendi limites transfiret. Et de hoc usufructu uberius nobis agendum erit in

## SECTIONE GENERALI SECUNDA.

DE

### USUFRUCTU IN SPECIE.

#### §. IX.

**S**ervitus ratione objecti personalis determinatae semper personae concedit jus percipiendi utilitatem ex re aliena, §. 2. et 7. Haec utilitas vel percipitur ex alterius aedibus, iis nimirum solis partibus, quae habitationi destinatae sunt, vel non ex aedibus, vel ad minimum non ex solis partibus, quae habitationi destinantur. Si prius, vocatur jus, seu servitus habitationis, quae consistit in usufructu earum aedium parium, quae habitationi destinatae manent, L. 13. C. de Usufructu : si posterius, tunc aut omnem utilitatem, tam eam, quam ad necessitatem, quam eam, quam ad commoditatem fert, percipere licet, vel eam solum modo, quam pro necessitate subjecti dominantis producit, aut adfert. Prior casus exhibet notionem ususfructus in specie sic dicti §. 8. posterior autem servitutem usus determinat, §. 1. Instit. de usu et habitatione,

B

bitatione,



bitatione. Sunt ergo tres species servitutum ratione ob-  
jecti personalium, quae cum usufructu generaliter confi-  
derato coincidunt, *usufructus nempe specialiter sic dictus,*  
*usus, et habitatio.*

\* Addunt vulgo quartam, operas nimirum servorum. Sed  
haec romana sunt. Servum hodie non novimus nisi no-  
minatenus talem. Per consequens servus nobis non  
praestat utilitatem qua Servus Romanus, sed qua homo  
proprius, ceu glebae adscriptus. *Mev. in tr. vom Zustand  
und Abforderung der Bauren. Hering. de Fidejuss. Cap. 7.  
n. 317. sqq.* Idea ergo, quam §. 2. supposuimus, non ad-  
mittit applicationem ad servum, et per consequens operae  
servorum, etiam alienorum, non sunt subspecies ejus  
servitutis, de qua nobis sermo est, vid. §. 2.

\*\* Hinc nec in praesenti tractatione in censum veniunt.

#### §. X.

In qualibet re, in sensu juridico considerata, substan-  
tiam rei, ejusque consuetaria discernere possumus. Sub-  
stantiam rei dicimus essentiam ipsius rei omnimode de-  
terminatae existentem, seu, si dicere mavis, formam rei,  
hoc non alio modo determinatae. Unanimis fere Icto-  
rum consensus hanc a nobis suppeditatam notionem ad-  
probat, quando ad corroborandam propositionem, quod  
usufructuarius formam rei, ne quidem meliorem, red-  
dere possit, invito proprietario, ad l. 13. §. penult. et  
l. 44. D. de usufr. ibique adducta exempla provocant.  
Qui itaque essentiam rei existentem, seu formam fundi,  
usufructum praestantis, transmutat, eodem modo de  
substantia disponit, ac ille, qui fundum alienat, servitu-  
tem imponit, aut alio modo intuitu mutandae essentiae  
existentis agit. Et quando rationem, quare hoc non alio  
modo



modo, essentiam existentem transmutet, quare in hanc non aliam formam redigat, ex sola sua voluntate sumit, pro arbitrio disponit de substantia. Iam autem ususfructus alicui constitutus nil, nisi jus concedit utendi fruendi, seu omnia omnino emolumenta seu consecraria ordinaria ex ea re percipiendi §. 5. et 8. nec haec facultas usufructuario, ne quidem ad meliorationes rei producendas, competere potest. L. 44. D. de ututr. quippe qui ab usum rei adhiberet, hanc facultatem sibi arrogaturus. Ut taceamus, quod *ro* salvam esse substantiam, quod conceptus praesupponit usufructus. et *ro* disponere pro arbitrio de substantia, contradictorie opposita maneat. Nulla hinc transmutatio formae externae rei usufructuariae, quae sit, qualis velit, tendat in detrimentum aut commodum fundi, ab usufructuarii arbitrio pendet, qui contentus esse debet fructibus, quos et quales praesens rei et existens essentia producit. Imo laedit hac dispositione proprietarium, qui ad reparandam laesionem agere potest contra usufructuarium.

\* Hinc nec in re fungibili constituitur usufructus vere talis, sed quasi talis. L. 5. §. 1. L. 6. §. 7. D. de usufr. ear. rer. quae usu consum.

### §. XI.

Consecraria rei dicuntur ea omnia, quae per substantiam fieri possunt, et tendunt vel ad percipiendos fructus, vel ad securitatem rei cujusdam obtinendam. Cui competit jus ad finem, jus quoque competere debet ad remedia, sine quibus finis non obtinetur, per not. Iam autem usufructuarius non potest omnes omnino fructus rei usufructuariae percipere, quam tamen facultatem illi servi-



tus usufructus concessam tribuit, §. 8. nisi de consecrariis ad percipiendos fructus pro arbitrio possit disponere. Et hinc per se patet, quod usufructuarius de omnibus consecrariis rei fructuariae pro arbitrio possit disponere, quae ad fructus percipiendos tendunt. L. 4. §. 1. L. 12. D. de usufr.

### §. XII.

Usufructuario competit quidem facultas de consecrariis rei usufructuariae pro arbitrio disponendi, quatenus tendunt ad fructus percipiendos, §. praec. non tamen exinde de ipsis fructibus indistincte pro arbitrio disponendi gaudet jure. Ponamus enim eos nondum esse perceptos, tunc tanquam pars fundi aut pertinentiae ejus merito considerantur. *Hering*, in diff. supra laudata de prodigo felici in mat. de fruct. restit. §. 11. et 12. Spectant itaque adhuc ad formam rei usufructuariae omnimode determinatae, hinc ad substantiam pertinent, §. 10. Unde et de fructibus pendentibus, et ab usufructuario nondum perceptis, domino fundi seu proprietario competit facultas disponendi pro arbitrio, per pendens tamen usufructuarii jus, seu per facultatem usufructuarii de consecrariis disponendi, limitato atque restricto. L. 12. §. 5. D. de usufructu. add. *Illustr. Darjes* in instit. iur. privat. §. 725. cor. 2. Ponamus autem illos ab usufructuario jam esse perceptos, tunc tanquam bonae fidei possessor eos, cum animo quemlibet alium excludendi, sibi habere potest usufructuarius, §. 35. et 38. Inst. L. 23. §. 1. D. de acquir. rer. domin. *et* sibi habere cum animo, quemlibet alium excludendi, et *et* disponere pro arbitrio, correlata sunt, nunquam separanda, et ultimum inseparabilis manet



net effectus prioris. Hinc vides, quod usufructuarius non solummodo de consecrariis rei usufructuariae ad percipiendos fructus, sed de perceptis quoque fructibus ipsis pro arbitrio disponendi habeat jus.

§. XIII.

Usufructuario competit jus pro arbitrio disponendi tam de consecrariis rei usufructuariae, quam de ipsis fructibus perceptis. §. 11. et 12. sed non de substantia. §. 10. Ergo ususfructus differt a dominio, quod comprehendit jus de substantia pro arbitrio disponendi, L. 21. C. Mand. L. ult. C. de reb. alien. non alienand. L. 19. D. de damno infecto.

\* Errat itaque magnus ille *Grotius* in jur. belli et pacis Lib. 1. C. 1. §. 5. quando usumfructum annumerat speciebus domini. Nisi forsitan ipsi sermo sit de usufructu causali: conf. *Stryck*. U. M. D. lib. 7. tit. 1. §. 2. sed et hoc casu confundere nobis videtur dominium cum effectu domini. Certe ususfructus causalis, quem formali opponi, tam notum est, quam quod notissimum, non est dominium ipsum, sed oritur ex dominio tanquam rationatum ex ratione.

\*\* Diximus in §. dominium consistere in facultate pro arbitrio disponendi de ipsa substantia. Huic determinationi forsitan objici posset, quod definitio latior esset, hoc frequenti argumento: si verum est, quod is, qui alteri concedit usumfructum in re sua, efficit, ut de re sua non amplius pro arbitrio, sed salvo solummodo usufructuarii jure, disponere possit, sequitur, ut dominium non sit cum jure disponendi de substantia pro arbitrio connexum; atqui verum est prius, ergo et posterius. Sed respondemus cum ipso alleg. *Grotio* in jure belli et pacis lib. 2, cap. 2. §. cit. distinguendum esse dominium in actu



primo et secundo et salva res erit. Dominium est jus. Jus est facultas. Facultas autem haec aut perducitur ad actum, aut non. Quando perducitur ad actum, quando exercetur, habes ideam domini in actu secundo. Si non, in actu primo. Dominium ad habendi, inquit *Gror.* l. c. non ad per se utendi jus pertinet. Impedimentum itaque, actuali dispositioni seu exercitio positum, non efficit, ut jus disponendi, facultas illa moralis, actus ille primus absit. Quod satis confirmari potest exemplo Pupilli. Quamvis enim hic dispositionem de rebus suis non ipse exerceat, minime tamen perdit dominium, nec hoc translatum est in tutorem. Gaudet dominio, sed in actu primo, impedito secundo per defectum annorum. Eodem modo res sese habet cum domino, qui in re sua alteri concedit usumfructum. Est dominus, sed in actu primo, in actu secundo dominium suum limitatur per usumfructum alteri concessum.

§. XIV.

Et nunc probatum esse arbitramur, substantiam non subesse dominio usufructuarii, sed utilitatem jam perceptam solummodo, et consecraria ad percipiendos fructus tendentia, §. II. 12. et 13. Quando itaque oritur quaestio, quem feriant incommoda ratione usufructus, et rei usufructuariae contingentia, ita res nostro quidem iudicio determinanda erit. Primo omnium definiendum erit commodum et incommodum. Deinde ab incommodis transgrediendum ad damna. Damna distinguenda erunt ratione causae, quae ea existere facit, et hoc peracto species damnorum erunt evolvendae. Hoc quoniam ratione factum sit, in §. §. subsequentibus, adhibitis antecedentibus, praestare elaboramus in

SE-





## SECTIONE GENERALI TERTIA.

DE

### INCOMMODIS ET DAMNIS IN GENERE.

## §. XV.

**C**ommodum appellamus omne bonum, quod intuitu alicujus objecti nobis obuenit, et incommodum omne malum, quod intuitu alicujus objecti nobis contingit.

\* Definitionem hanc in usu loquendi fundatam esse, nemo erit, qui dubitet.

## §. XVI.

Commodum est bonum. §. praec. Bonum vero est id, quod tendit ad nostram perfectionem. *Illustr. Darjes* in Inst. jur. univ. §. 15. Incommodum est malum, §. praec. Malum autem est id, per quod reddimur imperfectiores, ergo et per quod *ro* nostrum turbatur et diminuitur.

## §. XVII.

Omne, quod nos imperfectiores reddit, malum est. §. praec. Quatenus autem nobis aliquid adimitur, imperfectiores reddimur. Ergo et actus, quo aliquid ex nostro nobis adimitur, malum nobis infligit. Quod quando ex turbatione in nostro oritur, damnum vocatur | in sensu latissimo. L. 1. §. 3. D. si quadrupes paup. fecisse dicat, L. 3. D. de damno infecto. L. 31. D. de dolo malo. Hinc damnum semper adest, quoties nobis ex *ro* nostro, seu jure nobis competente aliquid diminuitur. *Struv.* in Iur. Rom. Germ.



Germ. forensi Lib. 3. tit. 23. §. 9. qui tamen damnum imputabile cum damno in sensu generaliore seu in genere sic dicto, in ultimis §. ad l. verbis confundit.

§. XVIII.

Evolutis hætenus notionibus commodi, incommodi, et damni, progrediamur ad ulteriorem determinationem damnorum, quam sequentem in modum pro præsentis nostro scopo proferre placet. Ponamus, nos sentire damnum, tunc aut possumus determinare causam hujus damni, seu rationem, cur ejusmodi damnum existat, aut non. Si non possumus, adest damnum fortuitum, sive casus fortuitus, L. I. §. 4. D. de obligat. et act. Quando vero possumus determinare causam, hæc aut cum imputationis fundamento agendo intulit damnum, aut non. Si non, sentimus damnum casuale κατ' ἐξοχήν. Schoepf, in synopsis, D. tit. commod. vel contra, n. 29. et 30. Quando vero hæc causa intulit damnum cum imputatione agendo, hæc illatio facta est aut dolo inferentis, aut culpa, et damnum hinc est vel dolosum vel culposum. Vtroque autem hoc casu damnum oritur, aut ex solo inferentis facto, aut concurrente patientis cooperatione. Quæ ultima si illius dolo aut culpæ imputari potest, tunc damnum nomen damni perdit, quippe quod patiens sentire non videtur, per notor. cum propria sua culpa sentit. l. I. §. 4. D. commod. L. II. §. locat.

Ex quibus concludimus, damnum esse vel fortuitum, vel casuale, vel dolosum, vel culposum intuitu inferentis.

§. XIX.

Damnum dolosum, dolo inferentis, in re nostra existit, §. præc. Dolus autem præsupponit, prææresin, seu



feu ferium ac deliberatum animum nocendi. *Vinnius* ad  
Instit. Lib. 3. tit. 15. ad verb. *sane quidem* p. 586. *Schoepf.*  
synopf. jur. priv. lib. 4. tit. 3. §. 1. *Klein* in annot. ad  
*Schoepf.* lib. 4. tit. 3. ad verba *deliberato*. Hinc quando  
dolosum damnum ponimus, semper praesupponitur in-  
ferens, qui Imo non moraliter solum agit, sed 2do quoque  
ferium ac deliberatum fovet animum, nobis nocendi.

\* Distinguunt quidem DDres dolum in malum ac bonum,  
et posteriorem consistere defendunt in sollertia quadam,  
maxime adversus hostes et latrones. L. I. §. 3. D. de dolo  
malo. *Franzk* Comm: ad D. Lib. 4. tit. 3. §. 5. sed hanc  
distinctionem ad nostram praesentem non pertinere dis-  
quisitionem, quilibet facile perspicit. Sicuti nec distin-  
ctio doli, in dolum ex proposito, et dolum ex re, pro  
nostro scopo ad futuram disquisitionem aliquid confert,  
et hinc nec in ulteriori tractatione ulteriori indiget ex-  
plicatione.

§. XX.

Sicuti dolus proaeresin inuoluit nocendi per praec.  
Ita culpa, quae in culposo damno occurrit, §. 18. est omis-  
sio debita diligentiae. Quae cum sit maxima, media, infima,  
ex hac omissione gradus culpa suas acceperunt de-  
nominationes, latae, levis, et levissimae. Negligentia est  
oppositum diligentiae. Qui ergo minimam omittit dili-  
gentiam, et consequenter in maxima versatur negligentia,  
culpam latam committere dicitur, quae est omissio talis  
diligentiae, quam vel dissolutus adhibere solet. L. 223.  
et L. penult. §. 1. D. de jur. et facti ignorantia L. 213. §. 1.  
de verb. signif. Qui mediam intermittit diligentiam, et  
per consequens in tali versatur negligentia, qualem ordi-  
narie non committimus, culpam levem adhibere dicitur,  
C  
quae



quae hinc est ommissio diligentiae, quae a patre familias frugali, et artifice in sua arte, adhiberi regulariter solet. L. 32. D. dep. vel contra. Qui denique postposita maxima diligentia, incidit in minimam negligentiam, levis- simam commisisse dicitur culpam, quae ideo est ommissio talis diligentiae, qualem ii tantum homines, qui ad rem attentissimi sunt, exercere solent, L. 18. commod. vel contra.

\* Vulgata quidem haec sunt, quae in §. exponuntur, de gradibus culpa. Praecipue quando consideramus, quae non sine ratione id circo monet *Stryckius* in U. M. Lib. 13. tit. 6. §. 12. Sed quia tamen in sectione mox sequenti specialissima nobis recurrendum erit ad haec principia, ordinis ratione brevibus ea recensere dignum iudicavimus, quo eo melius in decidenda quaestione speciali ad ea nos referre possimus. Et non sine ratione in determinanda culpa levi, artificis mentionem fecimus, quia semper et in quolibet negotio, in quo de praestanda culpa sermo fit, ad personae culpam adhibentis conditionem respiciendum manet, ut determinare possimus, quatenam eius debita sit diligentia, quatenam non? sive per legis dispositionem ab eo requiratur, aut non requiratur diligentia. Conf. *Struv.* in jurispr. Rom. Germ. for. lib. 3. tit. 3. aph. 16. *Thomasius* in diss. de usu practico doctrinae de culparum praestatione in foris Germ.

### §. XXI.

Omne damnum tam dolosum, quam culposum refarciendum est ab auctore. Intuitu doli hoc per se patet. Intuitu culpa autem certum manet, neminem laedendum esse, ac consequenter nequidem per factum nostrum ommissivum alterum laedere debemus. Potius, si factum, etiam nobis incumbit officium ad efficiendum, ut mala  
ex



ex laesione, facto nostro omisso orta, cessent. Malum ex laesione nostra ortum damnum audit. Hinc efficiendum, ut damnum etiam ex omisso nostro facto originem trahens cesset. Iam id, per quod fit, ut damnum cesset, reparationis damni nomine venit. Vnde per se patet, quod damnum non solum per commissum, sed et omisso nostrum factum alteri illatum, quale culposum est, reparandum sit ab auctore.

## §. XXII.

Omne damnum culposum reparandum manet ab auctore §. praec. ergo et damnum culposum, tam immediatum, quam mediatum, tam indirectum, quam directum, obligationi ad reparandum subest.

Vocamus damnum culposum immediatum quod in eo proxime rationem habet, quia agens hoc modo egit; mediatum autem, quod non quidem proxime, sed alia actione intercedente, in agentis actione culposa rationem habet. Directum nobis est tale damnum, quod quis ipse, ut ita loquamur, instrumentaliter intulit: indirectum, quod interveniente alia causa, ceu instrumento inferitur.

## §. XXIII.

Aliam quoque definitionem damni directi supponit *Grotius* in iure belli et pacis lib. 2. Cap. 21. §. 10. n. 1. damnum directum vocans, quo cuiquam aufertur ad quod jus proprium habet; cui tunc opponit damnum per consequentiam, quo fit, ut quis non habeat, quod habiturus alioquin fuisset, cessante scil. conditione, sine qua jus non habebat. Sed damnum per consequentiam proprie damnum non esse, potius casibus adnumerandum manere iudicantes, denominationi damni directi alteri



speciei damni proprie sic dicti tribuimus, et indirecto contra distinguimus eo modo, quo hoc in §. praec. factum est.

\* Exemplum damni in consequentiam venientis, restante Grotio, proponit Ulpianus in L. 24. §. 12. D. de damno infecto, in quiens: si in meo puteum aperui, quo factum est, ut venae ad te perventurae praeciderentur, negat operis mei vicio damnum datum ea in re, in qua jure meo usus sum. Et Paulus ICtus praeposterum ait, ante nos locupletes dici, quam ad quisivimus.

#### §. XXIV.

Quando applicamus principia de obligatione ad reparandum damna, culpa alterius illata, ad usumfructum, facili negotio perspicimus, usufructuarium habere jus exigendi reparationem damni, tam in consecrariis rei usufructariae ad percipiendos fructus tendentibus, quam ipsis fructibus perceptis, culpa alterius existentis, ab eo, cujus culpa damnum existit, et quod damnum culpa alterius illatum non feratur ab alio, quam eo, qui intulit damnum.

#### §. XXV.

Hisce igitur praestructis, et perpensa, quantum ad scopum nostrum sufficit, damnorum natura, propius ad finem propositum accedimus in



SECTIO.

SECTIONE QUARTA  
SPECIALISSIMA.

DE

DAMNO IN SVBSTANTIA ORTO AB  
VSVFRVCTVARIO PRAESTANDO AVT  
NON PRAESTANDO.

## §. XXVI.

**C**onfectaria rei usufructuariae ad percipiendos fructus tendentia eodem modo, sicuti exinde propullulantes fructus, postquam eos percepit usufructuarius, ad <sup>70</sup> suum usufructuarii spectant, usufructuario debentur, et dominium in illis, per facultatem de iis pro arbitrio disponendi, ad eum pertinet. §. 11. et 12. Sicuti itaque damnum dolo aut culpa alterius in consecrariis rei usufructuariae ad percipiendos fructus, et in ipsis perceptis fructibus existens reparandum exigit usufructuarius ab illo, cuius dolo vel culpa illatum est, per §. 24. ita, quia casum fortuitum et casuale damnum ille fert, ad quem res spectat, et cui res debetur, in qua casus existit, L. 23. in fin. de divers. reg. jur. §. 3. Inst. de emt. vendit. usufructuarius quoque solus ferre debet et casum fortuitum et casuale damnum in consecrariis rei usufructuariae sibi competentibus, et fructibus perceptis existens. Multum enim interest, ait *Mev.* p. 1. dec. 196. n. 6. in not. casus an rem perdat, an usufructum. Ille rei dominum, aut eum, cui ex re debetur, hic fructuarium ferit, sicut haec diversitas ostenditur in L. 15. §. 3. sqq. Locat.

## §. XXVII.



## §. XXVII.

De damno consecrariis rei usufructuariae, ad usufructuarium pertinentibus, et ipsis fructibus ab usufructuario jam perceptis illato diximus satis in §. praec. Iam itaque sermo erit de damno in ipsa substantia orto. Antequam autem adgrediamur ipsam decisionem hujus quaestionis, exemplo eam illustrandam esse, operae pretium ducimus. Vidua quaedam nobilis, per testamentum defuncti mariti, praedio mariti defuncti, per annum post mortem illius, utitur, fruitur, et simul in ipso praedio pistrina quadam ibidem sita. Consumitur autem haec pistrina (das Backhaus) incendio improvise, et quidem eodem tempore, quo familia viduae (das Gesinde) panem in dicta pistrina coquerat. Heredes feudales mariti, finito anno usufructuario viduae de illatis satisfactionem praestituri, compensationem pro parte instituere se posse credunt, intuitu pistrinae combustae. Vidua defectum fundamenti obligationis obmoveret, hinc resarcitionem damni, cum competentia juris compensandi aut detrahendi, negat. Quaeritur an jure an non?

## §. XXVIII.

Ex nostro quidem judicio res omnis ad sequentia redit. Certum manet, quam quod certissimum, obligationem non esse sine fundamento obligationis, a lege aut directe, aut per indirectum approbato. Fundamentum obligationis civilis duplex duntaxat agnoscimus, aut immediatam legis dispositionem, aut factum obligatorium antecedens, et in facto obligatorio antecedenti duplicem iterum subspeciem, aut pactum, aut turbationem. Circumspiciendum itaque erit, an unum vel alterum horum





rum fundamentorum obligationis ad damnum existens reparandum adfit in vidua, et hunc in finem examine-  
mus in sequentibus, quale sit illud damnum, de quo quaeritur, ut hoc facto formare possimus regulam.

§. XXIX.

Damnum hoc per combustionem pistrinae ortum, *in ipsa substantia praedii usufructuarii* existere per §. 10. ibique dicta, jam satis constat. Nunquam autem praesumere in regula possum, existentis damni rationem huic, aut illi imputari posse. Semper enim ejusmodi imputatio factum praesupponit illius, cui imputandum manet, quod nunquam praesumitur, sed semper probari debet. Conf. Cocceji de doli, culpa et negligentiae praestationibus in quolibet negotio, diff. 2. §. 29 et 30. Hinc nec dolosum, nec culposum, nec casuale damnum in casu praesenti adsumere licet, antequam heredes feudales, resarcitionem damni urgentes, probauerint causam hujus damni existentis seu rationem, quare hoc incendium ex facto illius alteriusve, aut omissione aut commissio existat. Ponamus, eos hanc non adferre probationem, tunc damnum ex combustione pistrinae substantiae usufructuariae ortum, erit damnum fortuitum, sive casus fortuitus §. 18. quem sentire eum, cui res deberur, sive de negotio, quod translationem dominii intendit, §. 3. Inst. de emt, vendit, sive de alio, sermo sit. L. 23. in f. D. de div. regul. Jur. leges disponunt adlegatae, absque omni alio ejus facto obligatorio accedente. Debetur autem substantia praedii usufructuarii non viduae, tanquam usufructuariae, sed heredibus potius, tanquam dominis et proprietariis, §. 10. Ergo quousque heredes non probaverint, cui ratio incendi

dii



dii exorti imputanda sit, lex non viduam obligat ad damnum ex incendio ortum rescarciendum, sed potius heredes ipsos obligat ad damnum ferendum. Multo minus ex facto autem obligatorio vincularur ante hanc probationem peractam vidua. Ergo nullum hujus obligationis ad reparandum damnum adest in vidua fundamentum §. 28.

\* Nec ex obligatione usufructuarii ad rescarciendum, qualem L. 7. §. 2 et 3. L. 64. D. de usufr. usufructuario imponunt, argumentum hic fieri posse, statim perspicit, qui ideam refectionis ejusque differentiam a rescarcitione damni orti considerat.

### §. XXX.

Quando in §pho praec. confirmavimus, combustionem pistrinae in praesenti exemplo pro casu fortuito seu damno fortuito habendam esse, donec contrarium ab heredibus, et ratio probata sit, quare hocce incendium unus alteriusve facto imputari possit: obstare nobis primo intuitu videtur l. 3. §. 1. D. de officio praef. vigil. quae incendia plerumque culpa inhabitantium fieri dicit, et l. 5. C. de pignor. act. quae eum, qui rem sine vitio suo se perdidisse ait, ad hoc manifestis rationibus probandum obligatum esse adlegat, hinc utraque praesumptionem ex lege fundant, quod incendium ortum culposum sit, donec probetur contrarium. Sed salva res erit. Liberat quidem praesumptio in lege fundata ab onere probandi, sed provocationem tamen ejus, pro quo militat praesumptio, ad praesumptionem requirit, quod quando fit, ipsa probatio adfertur. Et praeterea praesumptiones majoris ponderis adeste possunt in casu obveniendi, quae praesumptioni culpa in incendio ex LL. adl. adductae praeponde-



ponderant, sicuti Exemplo et Responso a ICTis Helm-  
stadiensibus anno 1721. exarato, comprobavit *Leyser*  
Spec. 217. med. I - 3. Quo itaque in casu ad minimum  
adhuc pro casu fortuito incendium habetur, donec con-  
trarium ab heredibus probatum sit. Sed ponamus et-  
iam, incendium hoc in casu praesumi absque ulteriori  
heredum probatione culposum. Quid inde? Non statim  
exinde praesumendum, quoque ipsius usufructuarii culpa  
hoc factum esse, ergo damnatum usufructuario tanquam  
culposum imputandum adesse, nisi ipsam viduam nobi-  
lem ignem in pistrina accendisse, panem in propria per-  
sona coquisse, et ignem ad coquendum excitatum extin-  
xisse, heredes ante probaverint. Praesumitur culpa per  
LL. adl. solummodo intuitu earum personarum, quae  
in coquendo pane in pistrina combusta occupatae fuerunt,  
non tertii, qui in pistrina praesens non fuit. Factum fam-  
ulorum, quorum opera usa est vidua in hoc negotio;  
illi imputari per se non potest L. II. §. 2. D. de publicanis.  
Clara adest L. I I. D. de periculo et commod. rei vendit : de  
incendio aedium orto sequentem in modum disponens :  
„Si vendita insula combusta esset, cum incendium sine culpa fieri  
non possit, quid juris sit? Respondit : Quia sine patris fami-  
lias culpa fieri potest ; neque, si servorum negligentia factum  
esset, continuo dominus in culpa erit. Quam ob rem, si ven-  
ditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam  
debent homines frugi et diligentes praestare, si quid accidisset,  
nihil ad eum pertinebit.“ Add Specul. Saxonie, Lib. 2.  
art. 32. Ipse ICTus Alfenus in L. II. adl. provocat ad  
praesumptionem culpae in incendio orto, tanquam ad  
rationem dubitandi, et tamen decidit, quod exinde culpa  
ipsius domini nondum probata sit, licet etiam forsitan de  
D negli-



negligentia fervorum constet. Quod et regula juris universalis corroborat, quae factum unius alteri non imputat, nisi concursus illius ad factum alterius adfit. Ponamus itaque et negligentiam fervorum tanquam rationem exorti incendii hic praesumi, aut probatum esse ab heredibus; tamen damnum exinde ortum, donec propria viduae culpa quoque ab heredibus probata esset, manebit intuitu viduae usufructuariae casuale tantum, §. 13. quod ferendum heredibus iterum, nisi a servis resarcitionem exigere velint, iungit lex, nec viduae obligationem imponit ad reparandum: conf. §. 29. ibique dicit.

\* Nec obstat nobis hic L. 30. §. 4. ff. locat. quando idem ille Alfenus I Crus de casu, quo colonus villam conducens, legem acceperat, ut eam incorruptam redderet, praeter vim ac potestatem, interrogatus respondit: quod existente postea casu, ubi coloni servus absque casu fortuito incendit, non videatur ea vis excepta, nec id pactum esse, ut si aliquis domesticus eam incendisset, ne praestaret, sed extraneam solum vim utrosque excipere voluisse. Nihil enim aliud exinde sequitur, quam quod colonus pactum iniens in conductione villae, ut villam redderet incorruptam, praeter vim ac potestatem, propter verba generalia se obligasset, ad suae, ad familiae suae culpam praestandam, ad quam tamen per se et sine hoc pacto, hac lege contractui adjecta, obligatus haud erat. Ut taceamus, quod inter conductorem et usufructuarium, tanta sit differentia, ut argumentatio, ab obligatione unius, ad obligationem alterius, minime valeat.

\*\* Nec obstant ipsissima verba L. II. ff. de per. et comm. rei vend. si venditor eam diligentiam adhibuisset, quam debent homines frugis: ita ut exinde praesumptio contra viduam deducenda esset, donec ipsa probaret diligentiam adhibitam, sicuti infra probabimus, quando sermo nobis erit de *damno* *ratione usufructuarii ipsius culposo.* §. XXXI.



## §. XXXI.

Ex lege igitur in casu proposito non adest obligatio respectu viduae ad praestandum damnum per incendium pistrinae, in substantia praedii usufructuarii ortum §. 29. et 30. Si ergo obligatio locum habere deberet, desumenda erit ex facto obligatorio illius proprio, consequenter vel ex pacto vel ex turbatione §. 28. Contractus per hypothesin deficit, Conf. exempl. in §. 27. propos. ergo nil restat nisi turbatio usufructuario imputanda. Haec involvit turbationem ejus quod ad *res* suum alterius pertinet, et turbamur vel turbantis dolo vel culpa. Ergo si in praesenti in usufructuarium redundare debet obligatio ad reparandum damnum, factum ejus proprium adeste debet, in dolo desinens aut culpa. Dolus antequam luculenter probetur, nunquam praesumitur, nec eum praesenti in casu adeste ipsi concedunt heredes, ergo de hoc fundamento obligationis non est, quod verba faciamus. Si autem adestet, probarique possit, (liceat nobis doctrinae causa hunc fingere casum) tunc et obligatio ad reparandum damnum per se patet §. 19. De sola itaque culpa adhuc agendum erit, an illa in casu substrato fundamentum obligationis contineat.

## §. XXXII.

Concedimus usufructuarium ad utendum fruendum exemplo boni patrisfamilias obligatum esse. §. 38. Inst. de rer. divis. ; concedimus porro, ut ita agere debeat, ut res ipsa, ratione substantiae, eadem maneat, quam acceperat, inde eam sartam rectamque conservet L. 7. §. 2.

D 2

ff. de



ff. de usufr. modice reficiat, d. L. 7. §. 2. ff. de usufr. L. 64. eod. emolumenta non exhauriat L. 9. in f. L. 22. de usu et hab. gregem ex foetu suppleat L. 68. in f. L. 69. L. 70. D. de usufr. e. q. f. r. Binis rem ad exemplum boni patrisfamilias custodiat, i. e. operam det, ut salva maneat res usufructuaria, siue ne aliquid subducatur, ne deterioretur. Nettelblatt in comment. de depof. irregul. §. 1. Sed ad instar boni patrisfamilias custodire debet, hinc mediam adhibeat diligentiam, non exactissimam §. 20. Quodsi igitur solummodo mediam negligentiam euitet, non tenetur, culpam itaque leuem et damnum tantum leui sua culpa datum praestat, d. §. 20. Quod exinde quoque apparet, quia omnes suae obligationes antea adductae, in obligatione ad faciendum desinunt, ubi semper culpa modo levis praestatur, Schaumb. comp. iur. Dig. Lib. 13. Tit. 6. §. 15. Hinc licet quoque ponamus casum: heredes culpam viduae levissimam probare posse, tamen inde minime fundamentum obligationis ad damnum reparandum contra viduam propullulare potest. Ad hanc levissimam culpam quoque referimus, si forsan ea omiffisset, in propria persona suscipere negotia, quae foemina inferioris conditionis fortassis non omiffisset v. c. Daß sie nicht selbst bey dem Ausziehen des Feuers, und Auslöschung desselben in eigener Person zugegen gewesen, noch des Abzehens späte nach dem Backhause hingegangen, um nachzusehen, ob auch alles gut ausgelöschet sey ic. Non enim media viduae incumbens diligentia, eam ad plura et maiora obligat, quam quod foeminae suae conditionis, andere adeliche Frauens, in re propria regulariter praestant, et ad instar frugae matrisfamilias suae conditionis solum



lum se conformare debet, non autem arctiori nexu vinculatur conf. §. 20. Hae vero fidelibus ac probatis famulis hanc curam relinquunt, superinspectione tantum, et admonitione, de omni modo caute procedendo sibi reservata.

§. XXXIII.

Ponamus autem casum usufructuariam ne eam quidem adhibuisse curam, quam tamen aliae nobiles matres-familias in regula adhibere solent, v. c. sie hat gewußt, daß die Leute ruchsloß mit dem Feuer umzugehen pflegten, und doch hat sie ihnen solches Geschäfte anvertrauet, lohne sich darnach im geringsten umzusehen; sie hat gewußt, daß die Leute leicht feuerfangende Sachen beym Backofen gehabt, und doch nicht befohlen solche wegzubringen: tunc omisit diligentiam, qualem tanquam usufructuaria suae conditionis adhibere debuit, hinc culpam levem commisit §. 20., ergo culpam hanc levem praestare etiam damnum heredibus resarcire debet. Sed ejusmodi diligentiam neglectam esse, facti est, et hinc nunquam praesumitur, hinc probari antea debet ab heredibus, quam exinde obligatio ad reparandum damnum incendio in substantia praedii usufructuarii ortum deduci, et per eam compensatio, quam intendunt heredes justificari potest. §. 29.

\* Nec hic obstant verba L. II, ff. de peric. et commod. rei vend. Supra jam in not, \*\* ad §. 30. allegata. Nam dantur quidem casus, ubi probatio casus fortuiti illi incumbit, qui ad summam diligentiam ex natura negotii obligatur, sed in negotiis, quae solummodo culpa latae,



aut levis praestationem exigunt, hoc exulat. Adferamus hic loco probationis rationes sententiae ab amplissima Fac. Iurid. Rost. in anno 1740. in sententia nomine senatus Lubecensis in causa Timmen, contra Koopen lata adhibitas, quas recensent Select. Iurid. Fac. Rost. Fasc. I. Spec. 10. quaest. 6. pag. 79. Es hat die Meynung, quod praesumptio diligentiae liberet ab onere probandi, allezeit so lange ihre Richtigkeit, als man nur in gemeinen menschlichen nexu, und sub regula nemo est laedendus stehet, imgleichen in speciellen Contractibus, darinnen nur culpa lata oder levis zu büßen, weisen dabey immer die praesumptio ist, culpa levis et levissima exclusiva; Allein wenn die Verbindlichkeiten so bewandt, daß nichts denjenigen, dem die Beschädigung imputiret wird, entsprechen kan, als der Beweis des casus fortuiti; so muß er um wie gedacht solches zu beschaffen darthun, se summam adhibuisse diligentiam. Fiar itaque applicatio ad casum praesentem.

§. XXXIV.

Quando heredes culpam levem, ergo multo magis latam, viduae usufructuariae in incendio orto concurrentem, ejusque existentiae rationem continentem, probatam dederunt, eam ad damnum refarciendum obligatam manere, diximus quidem in §. praec. ; sed intelligendum hoc est salva reprobatione usufructuariae, quam non solum elidendo et probando directo contrarium probationis principalis, sed quoque per probatam aliam rationem, undenam incendium ortum sit, absque omiffiva culpa, docere potest. Ponamus itaque allata ab heredibus probatione de culpa levi usufructuariae circa incendium pistrinae concurrente, usufructuariam per testes aut alio modo probatum dare, structuram ipsius pistrinae  
ita





ita qualificatam fuisse, ut ipsum aedificium ignis periculo exposuerit, atque exinde incendium originem ducere. Tunc propria heredum culpa, qui mutationem periculosaе structurae neglectam, propriae suae negligentiae, imputare debent, aut damnum ipsum §. 18. in f. et hinc obligationem ad damnum reparandum tollit, aut ad minimum casum usufructuariae nequiquam imputandum, haec circumstantia concurrens, producit, et hinc omnia secundum principia in §. 29. adducta iudicanda erunt.

## §. XXXV.

Sufficiant haec pro praesenti scopo nostro, quia ex dictis leviori opera, et ad alios casus regulae ad decidendas quaestiones specialiores formari possunt. Sufficiat quod promissis in rubro aliquo modo satisfecerimus. Reliqua L. B. ea quae sub initio hujus Dissertationis adduximus in memoriam revocans supplere, et in censenda hac prima elaboratione academica, voluntatem potius nostram, quam factum ipsum censere velit.

T A N T V M.



in quibusdam libris, in quibus de fideiis scribitur per-  
cilio exponitur, unde extant in eadem pagina du-  
centi. Tunc per hanc hereditatem, quae in  
partibus de fideiis, neque in partibus sine possi-  
bilitate, in eadem hereditate, per hanc hereditatem, in  
et hinc ad hanc hereditatem, ad hanc hereditatem, in  
ad hanc hereditatem, ad hanc hereditatem, in  
tantum, ad hanc hereditatem, ad hanc hereditatem, in  
hinc omnia hereditaria, in hanc hereditatem, in  
certa erant.

LXXXV

Substantia haec pro praesenti loco nostro, quia  
ex illis leviter operis, et ad alios casus regule ad de-  
terminata quaedam speciosa, formam possunt. Sicut  
etiam per hanc in rebus aliis modo hanc hereditatem  
Necessaria est, et quae in hanc hereditatem, in  
hereditatem, in hanc hereditatem, in hanc hereditatem, in  
hanc hereditatem, in hanc hereditatem, in hanc hereditatem, in  
hanc hereditatem, in hanc hereditatem, in hanc hereditatem, in

TAV V M







Rostock, Diss., 1755-58


X. 228 450f

ULB Halle

3

005 047 935







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

*15* Pri. 8. *Ann. 26.*

26

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
IVRIDICA,

DE

DAMNO IN SVBSTANTIA  
ORTO AB VSVFRVCTVARIO

NON PRAESTANDO:

*1758, 2*

QVAM,

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA,  
EX DECRETO ILLVST. ICTORVM ORD.  
IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA,  
SVB PRAESIDIO,

DN. HERMANNI BECKERI,

LL. D. ET INST. P. P. O. ADHVNC ACTVM PRODECANI.  
ET PROMOTORIS SPECTATISSIMI,  
PRAECEPTORIS OLIM SVI SVMMOPERE COLENDI,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA CAPESSENDI,

IN AVDITORIO MAIORI,

DIE 18. IVL. 1758.

PVBLICAE DISQVISIONI SVBMITTIT,

PETRVS GOLDSCHMIDT,

WITZINO-MEGAPOLITAN.

SVPERIOR. MECKLENB. IVDIC. ADVOCAT. ORD. ET DICAST.  
PROVINC. PROCVRAT. LL. CAND.

ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

